

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Programma Quo Decanus Et Reliqui Professores Collegii Iuridici in Inlyta  
Universitate Rostochiensi Ad Dissertationem Inauguralem, Dn. Candidati,  
Johannis Christophori von Hillen ... Die 21. Octrobris ... Officiose & amice invitant**

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731866401>

Druck    Freier  Zugang



Gesetz „Laweianum“ (= wir bestimmen)  
(Kindererziehung - Schule)

Schütze - v. Killen. 1/1  
R. U. Jar. 1647.



15

Programma  
QVO  
**DECANUS**

E T  
Reliqui Professores Collegii Juridici  
in Inclita Universitate Rostochiensi

A D

DISSERTATIONEM INAUGURALEM,  
DN. CANDIDATI,  
JOHANNIS CHRISTOPHORI

von Hillen/ Güstrov: Megapol:

Die 21. Octobris in Auditorio Majori, horis ante-  
*& post meridianas instituendam*


Magnificum Dn. Rectorem,  
Dnn. Professores, Doctores, Verbi Di-  
vini Ministros, Magistros & Ceteros Studiosæ  
Juventutis Cives Academicos, Omnesq; alios  
Literatos & Literatis ingenuè  
faventes

Officiose & amice invitant.

—S(O)S—

ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XLVII.





## Decanus & Collegium Faculta- tis Juridicæ in Universitate Ro- stochiensi.

**S**TUDII LITERARII culturam ut in-  
differenter Universam sic & Sacrosan-  
ctam nostram Jurisprudentiam sive Ci-  
vilem Sapientiam Binis præprimis, Vi-  
ridi scilicet Juventutis flore & Insatiabili discendi  
cupiditate delectari, Summi Quiritum Nomothetæ  
Divi Justiniani Institutionibus suis Imperialibus  
præmissi Proœmii Inscriptio ad Cupidam Legum.  
Juventutem directa liquidò inculcat. Etsi namq;  
juxta *Seneca* effatum nihil stultius sit, quam, quia-  
diu non didiceris, discere nolle, Eamq; ob caussam-  
natu grandes Studio Juris imbui desiderantes nulla-  
tenus repelli debeant, Et, quod magis est, Nonnulli,  
qui proœctioris ætatis existentes ad augustissimam  
Legalem scientiam accesserunt, accessus hujus tar-  
ditatem fructus postmodum ubertate mirificè resar-  
serint, Singulariaq; Jurisprudentiæ lumina evase-  
rint, Veluti *P. Alpheni Vari*, quem sutrinâ Cremonæ  
diu exercitâ tandem abjecto artis instrumento clau-  
fâq; tabernâ Romam æd Juris scientiam hauriendam  
se contulisse Valentinus Forsterus in sua Juris Ro-  
mani

mani Historia refert; Itemq; *Servii Sulpitii*, quem  
quamvis in ultimâ ætate ad studium Juris pro-  
sidente m tantam tamen ejus scientiam, ut o-  
mnes ex omni ætate in Civitate Romana intelligen-  
tia Juris instructi, si in unum locum conferantur,  
cum Eô comparari non potuerint, sibi quæsivisse  
Tullius attestatur; *Glossatoris Accursii quoq; Fr.*  
*Aretini*, quos fermè quadragenarios Jurisprudentiæ  
se mancipasse à Raphaele Cumanô memoriæ prodi-  
tum est, (ceteris in serâ demum ætate honoratissi-  
mam Themidem nostram amplexis propter pagel-  
larum augustiam silentio involutis) testimoniis  
edocetur; Perrara tamen imò rarissima vix ter qua-  
tervè ~~in~~ contingentia proindeque imitatio-  
nem omnino respuentia hæc Exempla sunt. Cadu-  
cam potius ac (ut Regius Psaltes adserit, quotidianaq;  
Experientia re ipsa comprobat) graminis instar  
subitò exarescentem & aquarum velocissimè trans-  
euntium exemplo celerrimè avolantem Mortalium  
vitam fugacissimam sanè & brevissimam, Artem è  
contra & præsertim Jurisprudentiam longè lateq;  
diffusam & quasi vastum immensumq; Pelagus esse,  
ideoq;, uti totum vitæ humanæ curriculum, sic &  
Juveniles confestim annos sibi vindicare probè  
perpendendum. Memor hujus olim extitit *Nerva*  
*filius Ictus*, quem à primordio statim Adolescentiæ  
Juris Alumnum factum esse, ideoq; tantum inibi

prosecuisse, ut post annos decem & septem publicè de Jure responderit, Domitius Ulpianus refert: Vestigia Ejusdem *Bartolus de Saxoferrato* pressit, quem anno ætatis decimo quartō Sacratissimis Legibus in urbe Perusinâ evolvendis se devovisse & idcirco anno vicesimō peractō Bononiæ parirer de Jure responsitasse, in eāq; ætate Doctoratus honores laudabiliter adsumsisse in Historiis legimis: Idem *Politius Senensis* fecit, quem annis pupillaribus nondum exutū ad Juris Civilis Studium properasse proindeq; ante exactum quartum ætatis suæ lustrum locos plus mille Juris differndō in controversiam revocantem, totidemq; paradoxa publice defendantem Universa Italiæ Gymnasia demirata esse, Matthæus Gribaldus scriptum reliquit: Segnior his haud fuit *Corasius*, de quo, quod in tenellâ adhuc ætate Legalem prudentiam adortus ac ea propter annum vicecum primum vix ingressus communes Doctorum opiniones permultas Patavii summo omnium applausu publicitus refutarit, in descripta ejus vitâ recensetur. Hinc *Baldum Nobilem Perusinum*, (quem omnia posteà addidicisse & nihil ignorasse Jason censuit) eo quod ætate grandior animum ad Juris Civilis studium applicuit, à præmemoratō Bartolo sermone hōcce, *Tardevenisti Balde*, exceptum esse Joh. Langlæus in otio suo femestri narrat; quamvis alii & post Eos *Valentinus Forsterus*, *Ipsum in molli ætate*

ætate Juri Civili operam dare cœpisse & annum nedum decimum septimum agens obscurum J Cti Afri- cani Responsum *sub l. centum Capuaff. De eō quod cert.*  
*loc.* interpretatum esse, in supra allegatâ Juris Roma- ni Historia adserat. Dehinc ingruentis senij vitium Themidos cultori ad Jus anhelanti non parum ob- stare videtur, quod (uti Priscianus ait) quantò quisq; Junior tantò docilior & perspicacior existat, & Cor- pore labante Animi quoq; vigor labascat, senesq;  
J Cto Ulpiano teste, reformare per quā difficile sit: Li- cet summus Philosophus Aristoteles hos demum, quorum & ætas & cum ætate Judicium maturuit, quiq; rerum usu valent, ad Civilem scientiam aptio- res & magis idoneos, quam immaturi judicij & re- rum imperitos Juvenes, esse autem. Præter Ju- veniles autem annos seriam quoque discendi cupi- ditatem studia Literarum nostraq; Jurisprudentia- jure suo sibi postulant. Universum enim (ut ille ve- rissimè perhibet) discendi cupiditas studij Literarij cursum animat, laboresq; summa pertinacia fran- git. Neq; modo discendi hæcce cupiditas principio, ut fieri adsolet, vel in juvenilibus duntaxat annis servida esse, post vero paulatim tepere & tandem frigescere sed ad seram usq; senectam imò extremū Vitæ halitum indefessâ atacritate continuari debet. Ex infinitis alijs Par nobile J Ctorum, *Pomponius* sci- licet, qui discendi cupiditatem, uti solam vivendi rationem optimam, in octavum & septuagesimum

A 3

ætatis

ætatis annum se duxisse notat, & *Salvius Julianus*, qui tantâ discendi cupiditate flagravit, ut, et si unum pedem in sepulchro haberet, se tamen adhuc addiscere velle voce memorabili edixerit; viva & excellētia nobis ad excitandum & conservandum ejusmodi discendi ardorem Exempla imitanda sunt.

Quæ cum itâ sese habeant, non immeritò Eximia Virtutis & Eruditionis Viro Juveni Dn. JOHANNI CHRISTOPHORO von Hillen Gustroviensi Megapolitano Iuris utriusq; Candidato dudum meritissimo gratulamur. Ipse enim, cum prima Literarum & Linguarum fundamenta in puerili ætate hausisset, & Studiis humanioribus probe initiatus esset, Almæ confessim Jurisprudentiæ cupidō discendi Studio in nostrâ hâcce Universitate Rostochiensi se addixit, Et tam in Èâ, (cui Studii sui Legalis primitias sacravit) quam florentissimâ Batavorum Lugdunensi Academiâ, ad quam Lares postmodum studiorum transtulit, per continuum quinquennium adsiduâ operâ & industriâ Ipsammet ita excoluit, ut, præter alia in Exercitiis ibidem (quibus sociatis laboribus interfuit) laudatissimè edita specimina, Juridicam ante triennium Dissertationem de Universâ Feudorum materiâ eruditam conscripserit, & in præmemorato Lycæo Lugdunensi publicitus masculè defenderit. Alias jam Academias, quas Dn. Candidatus in peregrinatione Galliæ & Inferio-


Ferioris Germaniæ (ubi non Regiones modò, prout  
pleriq; nil nisi Castella, sepulchra aliaq; ludicra in-  
tuente & suò se officiò probe functos esse sibi per-  
suasum habentes factitant, vidit, sed & statum Rei-  
publicæ ejusq; officia, vivendi modū, Leges, Mores,  
Populorumq; naturā exactè perspexit) cursu Studii  
Juridici peracto non sine fructu salutavit, ibidemq;  
nō nunquā, familiaritatis & conversationis cū famo-  
misi Viris & Jctis ineundæ causâ, aliquantis per  
commoratus est, præterimus. Quia verò Literæ &  
Virtus tā optimè ut gemmæ aurō inclusæ & Rosæ Li-  
lii intextæ conveniunt, Virtusq; maximum Litera-  
rum ornamentum ac oblectamentum existat, id cir-  
co probæ & præclaræ indolis ductu Virtuti consi-  
mult toto conatu studuit, ejusq; viam strenue calca-  
vit; adeo ut Noster hicce Dn. Candidatus, qui & Pa-  
rentem & Avum Ternosq; Avunculos (& inter Eos  
Unum Liberæ Imperialis Reipublicæ Lubecensis  
Consulem primarium de Eāq; jam per complures  
annos optimè meritum & adhuc merentem) par-  
tim piè defunctos partim Dei gratiâ superstites Ho-  
noribus Doctoralibus rarâq; eruditione & omni  
Virtutum genere conspicuos adgnoscit, quorumq;  
etiam post funera vivens Doctrinæ Virtutis & Ho-  
norum gloria & fama quôvis longe patrimoniô &  
universis bonis caducis.


*Omnia (namq;) dispereunt, mando qua pulchra videntur,  
Divitias subito mors inimica rapit.*

*Perpet*

*Perpetuo (verò) durat virtus Doctrinæ rerum,  
Inq̄ illam sors nil, quod dominetur, habet*  
præstantior & nobilior Jure sanguinis ad Ipsummet  
transit, nunc tantò magis de splendida hacce & hono-  
ratâ suâ Familiâ propriō Virtutis & Eruditionis or-  
namento ad Eam pariter refluente ac redundante, I-  
psaq; de nostro vicissim Dn. Candidato laudabili Successo-  
re & Imitatore gloriari justissimè possint Hâc igitur eximiâ  
Juris scientia & Virtute coruscans Dominus Candidatus  
cum laborum fortiter exantlatorum Præmium, Honorum  
scilicet & privilegiorum Doctoralium, haud-dudum ab  
Amplissimâ nostra Facultate Juridicâ decenter & modestè  
peteret, Profectusq; ejus Juridici in privato Examine, cui  
se subiçere coactus fuit, sat accurate cum Ipsô instituto  
abundè deprehensi essent, Eum ut meritissimum voti & des-  
iderii participem fieri debere concordantib⁹ Collegii nostri  
Juridici suffragiis decrevimus. Ut autem id, quod priva-  
tim nobis innotuit, omnibus quoq; innotescat, Publicæ  
Eum juxta receptam consuetudinem Academicam censuræ  
ad 21. Mensis hujus Octobris diem, Jehovâ annuente, sub-  
mittere non veremur. Quod restat, Magnificum Dn. Re-  
ctorem, Reverendos, Consultissimos, Experientissimos,  
Clarissimos Dnn. Professores, Doctores, Verbi Divini Mi-  
nistros, Magistros, respective Collegas ac Amicos nostros  
honorandos, Nobilissimos itidem & Præstantissimos Stu-  
diosos Juvenes, Ceterosq; Literatos & Literatis ingenu-  
fayentes, Ut ad solemnem hunc Actum frequentes profilire,  
Eumq; honorificâ & acceptâ suâ prætentia cohonestare,  
non graventur, summopere rogatos volumus. Honoris &  
amicitiæ hocce officium Nos grata mente adgnituros & pro  
nosse & posse omni Benevolentia & beneficentia genere,  
compensaturos esse spondemus P. P. Rostochii sub Sigillo  
Facultatis nostræ Juridicæ 10. Octobr. Anno 1647.







aniæ Cubi non Regiones modo, prout  
Castella, sepulchra aliaq; ludicra in-  
se officiō probe functos esse sibi per-  
tes factitant, vidit, sed & statum Rei-  
; officia, vivendi modū, Leges, Mores,  
naturā exactē perspexit) cursu Studii  
to non sine fructu salutavit, ibidemq;  
miliaritatis & conversationis cū famo-  
& Jctis ineundæ causâ, aliquantisper  
est, præterimus. Quia verò Literæ &  
mè ut gemmæ aurō inclusæ & Rosæ Li-  
nveniunt, Virtusq; maximum Litera-  
tum ac oblectamentum existat, id cir-  
ræclaræ indolis ductu Virtuti consi-  
atu studuit, ejusq; viam strenue calca-  
oster hicce Dn. Candidatus, qui & Pa-  
im Ternosq; Avunculos (& inter Eos  
e Imperialis Reipublicæ Lubecensis  
marium de Eâq; jam per complures  
meritum & adhuc merentem) par-  
tos partim Dei gratiâ superstites Ho-  
oralibus rarâq; eruditione & omni-  
ere conspicuos adgnoscit, quorumq;  
era vivens Doctrinæ Virtutis & Ho-  
& fama quôvis longe patrimonio &  
s caducis.  
namq;) disperirent, mundo qua pulchra videntur,  
ubito mors inimica rapit.

Perpet